Ingens Philippi Jaffei opus quod inscribitur

Regesta Pontificum Romanorum

ab condita ecclesia ad annum p. C. n. MCLXXXXVIII.

quantum fructum virorum doctorum studiis attulerit, nemo est qui ignoret. Jam vero cum ab a. 1851 quo prodiit, paene triginta jam anni sint elapsi, novam editionem paraturi et quae emendanda essent non pauca, et addendorum molem ~~permaximam~~ ~~paene incredibilem~~ omni expectatione maiorem invenimus. Permaxima enim bullarum papalium copia cum in lucem ex eo tempore prodiit, tum bibliothecas et archiva perscrutantibus praesto est. Labore igitur non exiguo opus fuit; qui cum magna ex parte ad finem jam sit perductus, volumen ~~librum~~ priori duplo fere majus propediem edendum viris doctis offerimus.

Opus diuturnum quod sumptibus satis magnis indigebat, Regis Borussici Minister, qui rebus sacris et litterariis praeest, perquam liberaliter fovit per annorum aliquot curricula.

Editionis autem ~~novae~~ praeparandae curam suscepit Guilelmus Wattenbach, Professor Berolinensis; quo moderante partem operis primam, quae ad a. 590 usque pertingit, Ferdinandus Kaltenbrunner Ph. Dr. absolvit, alteram usque ad a. 882 Paulus Ewald Ph. Dr. ~~et~~ postremam denique quae mole ceteris longe praestat, S. Loewenfeld Ph. Dr. elaborandam suscepit.

Accedet index, qui huiusque desiderabatur, initia bullarum et omnium tam epistolarum quam et fragmentorum comprehendens.

Primum operis fasciculum sub hujus anni finem editum iri confidimus.